

et Lusacie marchio Luczeburgensis et Slezie dux; in dorso vero sigillum parvum de cera rubea factum, in quo scutum de figura leonis in medio, figura aquilae caput duplex habentis apparebat, inpressum erat. Acta sunt haec anno etc. quibus supra praesentibus providis et discretis viris domino Michaele Lempkini de Gubyn perpetuo vicario ecclesiae Missnensis supradictae, Johanne de Gotha clerico Mogunt. diocesis et Petro de Wizenuelsz Nuenburgensis diocesis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Signum notarii

Et ego Johannes de Malow clericus Brandenburgensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius supradictae litterae exhibitioni requisitioni ac omnibus aliis praemissis dum sic agerentur et fierent una cum praenominatis testibus praesens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, eandem quoque litteram de verbo ad verbum nihil addendo vel minuendo propria manu transsumpsi publicavi et in hanc formam publicam redegi meisque nomine et signo consuetis signavi rogatus specialiter et requisitus in testimonium praemissorum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen.

Worbs neues Archiv f. d. Schles. Gesch. Bd. I. S. 313—17.

No. 603. 1370. 14. Juni.

Probst und Capitel erneuern ihre Zustimmung in Betreff der wegen des Archidiaconats der Lausitz getroffenen Verfügungen (No. 535, 537, 540 f.) mit Vorbehalt gewisser dem in Meissen residirenden Archidiacon in der Provinz persönlich zustehenden Rechte.

Nos Heinricus praepositus, Nicolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod cum praeclarae memoriae inclitus princeps dominus quondam Ludewicus Romanus Brandenburgensis et Lusatiae marchio speciali ductus favore, quem ad ecclesiam nostram gerere videbatur, ius patronatus praepositurae sive ecclesiae parrochialis in Lubbin nobis et ecclesiae nostrae donavit, nosque tam pium tamque devotum eius propositum amplectentes ad incorporationem et unionem de eadem ecclesia archidiaconatui Lusatiae postmodum factam consensum nostrum adhibuimus ea potissimum, quae etiam de ipsius donatoris voluntate procedere videtur, ratione, quod quia archidiaconi non in Lusatia, sed in Misna suam consueverunt habere mansionem, ne populus terrae expensis et laboribus nimium vexetur, archidiaconus pro tempore, postquam ecclesiae praedictae et ipsius pertinentiarum pacificam possessionem habere et retinere potuerit et habuerit, officialem foraneum ad libitum tamen quotiens videbitur mutandum, ad locum Lubbyn praedictum, ut ibidem sui iudicii consistorium teneat et iurisdictionem ecclesiasticam in causis ad forum ecclesiasticum et ad ipsius archidiaconi examen et cognitionem spectantibus exerceat, locare debeat et tenere, nisi tanta esset alicuius qui ad ipsius traheretur tribunal saevitia seu potentia, quod officialis ipse eius potentiam et saevitiam merito perhorrescens iustitiam de ipso reddere non posset vel auderet conquerenti. Et hoc casu potest licite conquerens, sicut posset ad alium